

Mf 41.
(2)

19

etc.
fri-
ico
er,
id
ost

P.
at
O
H
in
55

SYLLOGE
VARIORUM SCRIPTORUM
LOCOS
DE
MUHAMMEDANORUM
AD
CHRISTUM
CONVERSIONE
EXPETITA SPERATA TENTATAQUE
. EXHIBENS.

COMPOSUIT EDIDITQUE
D. JO. HENR. CALLENBERGIUS
Theol. & Phil. Prof. Ord.

HALAE
In Typographia Instituti Judaici
MDCCXLIII.







Caput Primum. Quil. Postelli consilia, conatusque.

§. I.

Quilielmus Postellus in libris quatuor de
orhis - concordia : Quilielmus Po-
stellus Principibus, Magnatibusque,
veræ in Deum pietatis conservatoribus, &
amplificatoribus, totiusque sanctæ Ecclesiæ
consortio S. - Quum - videam, litteras, præ-
stantissimum hujus mortalitatis ornamentum,
multis hac tempestate veluti ad cæterorum
hominum perniciem, aut ad ostentationem
tantum & contentionem datas ; sit vero hu-
jus vitæ munus felicissimum, ab hominum
mentibus eas tenebras dispulisse, quæ immor-
talitatis viam præpediunt: putavi esse ex offi-
cii mei ratione, si, quibus litteris ad hanc diem
animum excolere sum conatus, illis ad ve-
rum animis, caligine falsi occupatis, expo-
nendum, & svadendum utar.

§. II. Suscepti operis altera causa fuit hu-
jusmodi. Quum a plurimis, insigni & fa-
cilarum & humanarum disciplinarum cogni-

A 2 tione

tione (*præditis*) viris, tam verum affirmatum, confirmatumque, quam falsum refutatum, partim ratione, partim auctoritate videam; cæterum illa præclara opera inter nostros, qui de vero non ambigunt, delitescere certam: constitui apud me, dum, quæcumque & verum probant, & falsum improbant, tam ex aliorum laboribus, quam a nostra, licet tenui, industria, ratione duce, collegero, cœtique vestro sanctissimo opus excutiendum permisero, hoc ipsum in eorum populorum linguas, contra quorum errores scribo, convertere, adque eos deferre & aperire, ut contra se objecta aut diluant, & satisfaciant, aut, rejectis falsis, vera suscipiant.

§. III. Puto enim Deum Opt. Max. ideo mihi hanc tam variarum linguarum, licet mediocrem, peritiam, veluti talentum, commisso, credidisseque, ut inde aliquis fructus in cæteros homines, quibus sum natus, redundet; utque animos saltem faciat providentia, hoc meæ tenuitatis & superficiariæ rerum omnium cognitionis exemplo, magnis, & absolutis omni genere virtutum doctrinarumque viris, ut, quæ in votis - (*solum*) habui, ea re ipsa exsequantur.

§. IV. Hoc opus quum magnitudine animi, non dejecta, opibus autem & magno Principum, magnatumque adjumento & favore egeat: a me tamen, quamvis tenuissimo, &

ab



ab externa felicitatis parte omnino imparato, ideo posse suscipi iudicavi, quod animo, ad verum suadendum, & rempublicam christianam juvandam bene affecto, a nemine me posse facile vinci spero. Quod autem ad facultates, peregrinationi necessarias, attinet, si aliunde non adfuerint, a me ipso accipiam. Necessitatis videlicet leges abstinentia, resciso etiam utilium rerum usu, & quibus artibus potero, a me depellam; fame, siti, nuditate, patientia certabo, ὥστε οὐδὲν αἴτιον βλεπεῖν. Si defuerint homines, non est, qui animos ad hanc rem fecit, defuturus Deus. Jesu Christi favore fretus, provinciam adeundarum urbium, in quibus vigent Arabici eloquii studia, suscipiam; ejusque linguae, quæ tota ferme in Africa & Asia communis est: si erit vita valitudini prosperæ comes: cognitionem eate-nus assequar, quoad meum opus de Orbis concordia in eam transferre liceat, & cum illis communicare, & familiari colloquio exponere, qui in philosophicis & litteris huma-nioribus sunt versati.

§. V. Ut enim vulgus Muhammedicorum, & qui in superstitione persuasione tan-tum formati sunt, sunt Alcorani observantis-simi, persuasionique addictissimi; ita, qui Evangelium, aut philosophiam attigere, sunt ab eo alienissimi. Ideo non pauci Caliphæ, scholas publicas construentes, sanxere, ne ul-lus,

6 CAP. I. POSTELLI CONSILIA etc.

Ius, qui in philosophicis, aut Evangelio esset versatus, in illis admittatur. Secunda cura erit, ut, eorum litteris & opinionibus copiose instructus, in eos armari undique, & nostris hominibus tela extorta ad eos impetendos suppeditare valeam. - Ea vero etiam instituti operis ratio est, ut non tantum in Arabicam, atque Hebraicam linguam mea vertere velim: sed & sacras litteras, & - (*quidquid præterea*) ad lucem hominibus occæcatis reddendam facere videbitur. Nam, quid aliud, rogo, est, quam *στιγματίζειν*, contra alienas a nostra persuasione & dogmatibus nationes agere; nisi propriis ipsarum linguis, quæ contra se dicuntur, audiant, legant, & intelligant?

§. VI. Si scopum non attingam, sternam viam nostris monachis, & sacrarum litterarum professoribus, qua se Christo probare possint. Falso enim illi tempus afferendi vitæ periculo Evangelii transiisse afferunt, quamdiu ab ulla mundi regione abest Christi, verique cognitio. Jam pridem ab orbe exulasserit fœda & absurdâ persuasio, si singulis sæculis singuli fuissent, qui, ejus litteris instruti, & Principes commonefecissent, & cum doctis fuissent congressi. Verum vix unus aut alter, - (*ex*) quo receptum est Alcoranum, Arabibus scripsit Arabice, contra impietatem illam, & naturæ perniciem. etc.

Caput

Et naturæ perniciem. In Epistola nuncup.
fol. 1. a. b.



Caput Secundum.

Continuata consiliorum , & co- natuum Postelli expositio.

§. I.

A Gite ergo fratres carissimi, quum principibus non licet per illorum occupationes hanc (a) terris avertere pestem, occurramus, opponamus nos ob Jesu Christi nomen, in impiam nationem rationum gladios acuamus, prima quaque occasione perstricturi. Nos non pudet, unicum in Europa dominatio-
nis angulum esse tantum relictum Christo ? Quam desidiae nostræ rationem sumus Deo reddituri, quod tantæ calamitati nullus se opponat? etc.

§. II. Unde isthæc fatua, & futile opinio inter multos veluti sanctissimum decretum habatur, tempus martyrum præteriisse ? Quasi vero usquam occasio se Christo probandi vitæ etiam discrimine desit. Si deessent impii, & a causæ primæ cognitione alieni; non desunt hæretici, impia principum facinora, scelestorum tyrannorum nequitæ. Si & impii & hæretici absunt; nunquam ab orbe sunt res abfuturæ, in quibus arguendis animus, Deo fre-
tus, se exerceat, Deique testis fiat. - Increpatio Herodis Joanni Baptistæ mortem attulit. Libera, reprehensio Valentis, imperatoris, Ba-
filio

8 CAP. II. CONTINUATA CONSIL.

filio magno, si permisisset providentia, attulisset cum morte exilium. Quoties vitæ discrimine Eudoxiæ, imperatrici, Arriana hæresi infectæ, se opposuit Joannes Chrysostomus? Bis paſſus est propterea exilium. Hæc omnia ostendunt, nulla in re nos magis debere probare Deo, quam in vero suadendo & afferendo. Non erat a morte Christi uberior seges christianis proposita, quam nunc. Quid enim differt, aut hominem veritatem nunquam novisse, aut illius fuisse oblitum? Totus orbis est in majoribus tenebris, quam quum venit Christus, in vineam operarios missurus. Certe ut nulla pestis superstitione unquam usquam gentium Muhametana immanior fuit; ita nil nomine Servatoris fieri gratius potest, quam totis viribus illi obſistere. Angelus Siculus gloriose, Christum Mauris prædicando, post diuturnos carceres vitam gladio finivit. Quinque martyres, Franciscani, Berardus, & socii, eam ob rem in Mauritania capite cæsi sunt. - Antonius, qui a loco sepulturæ Paduanus dicitur, fecerat hujus rei periculum in juventute; sed, re infecta, ob linguæ ignorationem, redire est coactus.

§. III. Lingua una Arabica opus est, præter facultatem congregandi cum Christi hostibus; quæ aperit viam fere universum orbem peragraturo. Nulla enim unquam, quod litté-



litterarum memoria extet, tantum orbis -
(spatium) occupavit. Mauritaniae duæ, Nu-
midia, Africa, Ægyptus, Æthiopia, Arabiæ,
Syria, Asia minor, Armeniæ, Mesopotamia,
Assyria, Persis, Parthia, Aria, Gedrosia, &
major Indiae pars illam, perniciosi dogmatis
gratia, amplectitur. Jusserat Clementina de
magistris primarias academias illius debere
habere doctores binos, ut singula secula ha-
berent homines, ad eam persuasionem ex ho-
minum mentibus convellendam idoneos.
Non est adhuc factum.

§. IV. Jeci nunc vobis, ut per meam te-
nuitatem licuit, fundamenta, ejus eruditionis
excusa grammatica. Ingens, ut in rarita-
te, est mihi librorum hujus linguae suppel-
lex. Verum quod maxime vos paratos, &
ab omni parte instructos reddere potest, re-
futatio insani dogmatis est. Id vero operis
sum aggressus, non eorum (*more,*) qui ante
me ex versione, aut, ut melius loquar, in ver-
sione latina Alcorani, idem operis sunt ag-
gressi; sed ex ipsis Arabicis exemplaribus.

§. V. Agite igitur, o fratres carissimi, vos
principue, qui mundi contemtum profitemi-
ni; adjuvate me, & opera & precibus. Se-
quimini, quamvis non satis peritum ducem.
Etiam summa ingenia a tyrocinio incepere.
Ab his principiis, nos Christo probando,
pergemus ad majora. Ita fiet, ut studium

10 CAP. II. CONTINUATA CONSIL.

Principum in eam partem excitetur, & in
hanc curam - (*incumbat.*) Modica flamma
non raro maxima incendia excitavit. Quid
tantum vitae caritatem habemus, quæ nobis
etiam invitis est relinquenda? Quanto cer-
tius illam Christo committendo, agemus,
apud quem periisse, vixisse est? Vidimus
quatuor aut quinque expeditiones in Muham-
medicos, animose unius aut alterius hominis
suasus suscepitas; quæ certe si rationibus, ad
dogma evertendum aptis, perinde ut armis
fuissent instructæ, funditus interiisset Arabi-
ca lues. Solent anteire in periculis arma.

§. VI. Praecedant litteræ, armæ pietas
fidesque. Alioqui si pari desidia utemur ei,
quæ ad hanc diem duravit; procul dubio
inviti subibimus jugum fœdæ servitutis & ani-
morum & corporum. Si nolis sanus, ut in-
quit Horatius, cures hydropicus. Luget sub
ea peste afflictus orbis: & quam rerum con-
ditionem, dum liber esset, servare, ut debe-
bat, noluit, ea nunc invita utitur. Græca
ecclesia opibus ad luxum est abusa: nunc il-
læ cedunt militi, & vires ad eam opprimen-
dum faciunt. Ita instituit Deus, ut post
quam diutius - pœnitentiam (*nostram*) expe-
ctavit, invitos trahat: &, quibus rebus in
perniciem & luxum, superbiamque utimur,
illas alio traducat; ut afflictionem quidem,
non autem voluptatem inde recipiamus, Im-
ma-



L.
in
ma
Quid
obis
cer-
us,
mus
am-
inis
ad
ermis
abi-
ma.
etas
r ei,
ubio
ani-
in-
sub
con-
ebe-
aca
c il-
nen-
post
xpe-
s in
ur,
em,
Im-
ma-
ET CONAT. POSTELLI EXPOSIT. II

manis ille tyrannus, Muhamedes, qui Constantinopolim cepit, quum opum acervos, quibus patriarchatus diffuebat ornatu, pompaque, & rationum libros cerneret; fertur dixisse: o impii homines! in caput vestrum hoc recidet. Vos, his opibus tam copiosis, contra legis vestrae præscriptum, abutentes, ruinam vobis accelerastis. Faciam, ut posteritas luat peccati vestri poenas. Militi, res christianas afflgenti, hæc pecunia cedet. Nec mora fuit, quin convehendas illas opes in unum ærarium juberet; ex quo liceret tantum in belli adversus religionis Muhammedicæ hostes expeditionem, & in usum pauperum, peregrinorum, & tenuium hominum, qui in re litteraria versantur, accipere. In hanc partem quotannis aureorum sexaginta millia, nomine eleemosynæ, expenduntur. Semel est a Sultano, Selimo, Sulmani regnantis patre, exhaustum illud ærarium, contra avi institutum, quum ad bellum Persicum, in Chalderandagis (*gerendum,*) festinaret. Cumulavit itaque patriarcha posteris æternam cladem. Nihilo vero feliciores inferiores ecclesiæ illius ordines fuere. Quidquid enim, seu decimis, seu alio proventu, ecclesiis debebatur, id totum militi cessit: ut non sit mirum, illos principes æterno copiosoque milite abundare. In demortui enim locum, non secus atque hic curiones, statim sufficitur alter. Nisi



tempestive medeaimur, tantundem nobis imminet. Relinqui quidem inter victores solet cuilibet nationi liber suæ religionis in summa tenuitate usus: sed imperatoris edictum quotidie juventutem ex toto imperio a parentibus christianis abducit, ut in militiam adscribatur post aliquot annorum tyrocinium; atque demum, quod est omnium deterrium, in verba Alcorani, abnegato Christo, juret. Et nos ista non permovent?

§. VII. Quam variarum religionum ordines sunt inter nos oborti quodam fervore! Primo summa in illis pietas viguit; iramque numinis, ne desaviret in cæteros mortales, piis precibus averterunt: paulatim vero, refrigerante illa bona lite, ut vocat Hesiodus, ad pristina, mortalibusque consueta studia rediere, differreque (*a*) cæteris paulo ultra externum cultum cœpere. Ideo varia ratione pars una ecclesiæ unicum tantum probavit ordinem; quod omnia cum tempore corrupti cerneret: alia corruptis, alios melius substituit. Nam inter Græcos, & in toto fere Oriente, unus Basilitarum ordo reperitur. Augustini sectatoribus successere Benedictini. Eo vero bonorum illorum virorum studium tendebat, ut apostolicum illud vitæ genus, quod quum alibi multis in locis, tum potissimum in desertis Ægypti & Syriæ, ad trecentos ferme annos innumerabili-

bilibus insigni sanctitate (*præditis*) viris in-
claruerat, quamplurimi amplecterentur;
nec infeliciter successit. Clarissima enim mun-
di lumina, id instituti placuisse Christo, do-
cuere. Ex gregi Benedicti Berno est obor-
tus, qui Cluniacensibus originem dedit; Bru-
no Cartusianis, Cisterciensibus Ardingus, Prä-
monstratensibus Norbertus, Stephanus Gran-
dimontensis, Valli umbrosæ Galbertus,
Bernardus Clarevallensis, Camaldulensis
Romualdus, etc. Omnes vero non aliam
ob rem a prisco vivendi ritu & consortio dif-
ferre volueret, nisi quia parum sancte insti-
tuta inter copiosas opes servari cernerent.
Ideo ad viam arctam contendentes, deprava-
ta fugiebant consortia. Verum quia mediis
in opibus vix potest servari integritas: ad
postremum oborti sunt quatuor ordines, opi-
bus & privatis & communib[us] destituti; qui-
bus præter primos, Apostolis proximos, nulli
meliores fuere. Licet enim homines sint,
veluti & cæteri, non habuere tamen suas ab
opibus pestes; uti illi auctores, Elias & Au-
gustinus, absentes, & jam pridem vita pra-
fenti sunt, Franciscus & Dominicus, pra-
fentes, instituere.

§. IX. Sed quorsum hæc? Ut pateat,
quum sit tanta messis in toto terrarum orbe,
& tam pauci operarii, multos esse, qui ope-
ras hilari animo patri ad vineam colendam

B 3 sunt

14 CAP. II. CONTINUATA CONSIL.

sunt polliciti: vinea tamen non tantum ab illis non colitur, sed ita negligitur, ut ne vinea quidem appellanda sit. Jam incipit serpere Christi evangelium in orbe novo. Scribit Petrus Martyr: illic jam multa cœnobia ad *catechismum* esse introducta a Franciscanis & Dominicanis. Quamdiu magna erat litterarum ignoratio, nulli ferme curiones sacrarum litterarum periti, librorum multa penuria erat; magis necessaria fuit opera vestra, Fratres. Nunc vero quum vobis inertia, & nimia multitudo alieno impendio vicitantium probro detur, & jam a pueris objiciatur, eluite illam notam, priscorum patrum animos concipite, audete aliquot. Nunquam sunt defuturi sectatores. Quanto sunt immaniores Muhametani in eos, qui vel mutire contra imposturam Alcorani audent, tanto præsentiorum suis Christum adfuturum, est sperandum. Fiet tandem unum ovile, & unus pastor. Si vero amplius cunctabimur; periculum est, ne iste parvulus orbis angulus, in quo imperium Jesu adhuc floret, etiam nostra socordia illi pereat.

§. IX. Non est, more hæreticorum & impiorum, differendum. Ajunt enim illi: non esse obsistendum Muhammedicis, iniquitates nostras vindicaturis, inque hoc a Deo missis. Hi vero: suum Christo imperium esse relinquendum, ut illud ipse tutetur. Nil sine huma-



humano arbitrio, quum ab eo potest fieri, solet facere Deus. Eos, opus est, qui sunt sui, si velint ejus frui felicitate, etiam toto & corporis & animi nixu conari, ut ejus doctrina quam latissime pateat.

§. X. Si semel perversi dogmatis placita uno in loco convelli cœperint, nullo negotio tota moles illa concidet. Modo sentiant principes, retineri posse imperia sub Christi doctrina: facile cedent; victoriamque, qua nulla unquam fuit, futurave est - (*commemoratione dignior,*) reportabimus. Quod faxit Deus! Quum enim tam late pateat ejus persuasionis, linguæque usus, ut a columnis Herculis per Africam in centesimum octogesimumque gradum secundum *tropicum* extendatur; si semel, qui illa utuntur, suntque magna quadam auctoritate apud suos, rationibus a nobis vinci poterint: accingentur operi, unaque nobiscum Christi doctrinam aliis tradere satagent.

§. XI. Non est, ut vulgo creditur, tam arduum, cum illis congredi. Rationes enim nostras sustinere nunquam poterunt. Ideo statim ad supplicia recurrent, si quis vel unum verbum dicat contra Alcoranum, aut ejus placita. In patientia possidebunt animas suas, qui se objicient. Miraculis vincentur. Aderit Christus; si semel, fide armati, congregendi actionem susceperint. Una Jesu Christi



mors, & divinitas est illis suadenda. Cætera enim de ipso persuasa habent, **judicemque** vivorum & mortuorum, eum, postquam obierit, expectant. Verum ejus laudes tam ex Alcorano, quam cœteris eorum auctoribus in fine libri hujus, cum compendio tertii capituli primi, & epitome secundi, ideo addam, ut a dissimulata benevolentia illos valeamus nostra inculcando adoriri, sensimque irreperere.

§. XII. Ea vero jam sunt Arabice a me versa; sed ideo non edam, quod desit adhuc nobis *lexicon Arabicolum Latinum*. - (*Cujus linguae Lexicon*) quum in nostra peregrinatione aut vertere, aut recuperare potero, statim ad vos adferam; vobisque eadem, Deo juvante, Arabice excudam, quæ - Latine (*edidi*;) ut - ignoratione linguæ non sumus amplius imparati. Unum id vobis in principio est copiandum, ut egregie obsistere possitis etiam Latine nefariis ejus pseudoprophetæ opinionibus, vel eam ob rem, quod nunc, excuso. Latine exemplo Alcorani, & per manus Christianorum volante, non sunt defuturi, quibus ea præscripta arrideant, **impii** præcipue Luctiani, Epicuræi, & **naturales**. (*)

Caput

(*) In lib. 2, præfat. pag. 132.

Caput Tertium.

Excerpta ex Miræi, Sionitæ &
Hesronitæ scriptis.

§. I.

AÜbertus Miræus de Clenardo scriptit §.
 Studio discendæ linguæ Arabicæ, com-
 meatu accepto, in Africam Tingitanam,
 quæ hodie Fessæ regnum, trajecit; ut, sacra
 biblia in eam linguam transferens, gentem
 illam, Mahumetana inquinatam perfidia, Chri-
 sto transcriberet; ejusque linguæ professio-
 nem ceteris (*linguis*) in Academia Lovaniensi
 adjungeret. Nam præter Latinam, Græcam,
 & Hebraeam, quæ in omnibus pene acade-
 miis regnant, Arabicam quoque Grammati-
 cam conscripsit; extatque manuscripta in Hi-
 spania apud J. Pereium Valentinum, homi-
 nem doctissimum. Ex Africa in Europam,
 quod insidiis se peti sentiret, transmittens, ho-
 spitio a N. Mendoza, Marchione Mandechari,
 Prorege Granatensi, excipitur; moritur
 que Illiberi, quæ hodie Granata est, circa an-
 num, opinor, MDXLII. & conditur in sa-
 cello loci editioris, ubi post urbi defenden-
 dæ arx est constituta.

B 5

§. II.

De Clenardo scriptit in Elogiis illustrium
 Belgii scriptorum, Centur. I. Antverp.
 1602.

§. II. *Idem Miræus alio loco hæc narravit*: Cum - Societatis Jesu quidam, ante annos plus minus xxv. Argirium Mauretanæ profectus esset, lytrum captivis reducendis latus; Rex eum in suam duxit bibliothecam, varia librorum supellestile instructam: varios hic illi codices visendos porrigit, atque in his libellum hunc, (*Thomæ Kempisti de imitando Christo*) vulgari Turcarum lingua redditum; adjectique: pluris se unicum illum facere, quam reliquos omnes Muhamedanorum. Praeclarum sane vel ab hoste expressum testimonium, quod, nisi gravissimis testimoniis niteretur, incredibile videri possit.

§. III. *In dedicatione (*) Grammaticæ Arabice, quæ a Gabriele Sionita & Iovanne Hesronita Lutetiae Parisorum anno cœlœcxvi. evulgata fuit, hæc leguntur*: cum arabicæ linguae addiscendæ cupiditas - jam incendi & fervore incipiat, & in universa Europa, præsertim in hac nobilissimi Liliati regni ditione, admodum dilatari ac propagari videatur: ut tot adolescentium, hujus linguae studiosorum, desiderio satis fiat, Grammaticæ epitomen scribendam nobis censuimus. - Nec profecto id

Aubertus Miræus in Elogiis illustrium Bel-gii scriptorum, centuria prima. Antverp. 1602. pag. 72.

(*) *Scripta Parisis. Non. Ianuar. dicti anni.*

EO,
rra-
an-
niæ
ndis
he-
um :
at-
visti
lin-
um
me-
ex-
mis
sſit.
icæ
ne
cvi.
in-
&
ræ-
ne,
ut
m,
1 -
eto
id
—
el-
rp.
ni.

SIONITA ET HESRONITA. 19

id inutile ecclesiæ Christi futurum, sed per-
commodum speramus, cum arabicæ linguæ
tanta ac tam salubris sit utilitas, ut Europæis
omnibus ejus cognitio plane videatur neces-
saria. - Fas etiam est, tam frequentes, atqué
pene innumeræ gentes hujus linguæ usu ad
christianæ veritatis finum invitare, & a falsis
impostoris illius Ismaelitici, Mahomedis, dog-
matibus revocare, - quæ provincia Gallis
quasi hereditario jure a majoribus suis vide-
tur esse relictæ, ex eo præcipue tempore, quo
a pontifice, natione Gallo, concilium œcu-
menicum Viennense in Gallia coactum est ;
quod statuit, ut in omnibus christiani orbis
academiis Hebraicæ, Græcæ & Arabicæ lin-
guæ studiis omni cura & diligentia incumba-
tur. - Quare hasce rationes - D. Franciscus
Savary, D. de Breves - cum expendisset, non
minori pietate, quam liberalitate, eandem lin-
guam, in Europa non citius ortam, quam fe-
re collapsam, erexit ; cum plurima charac-
terum arabicorum genera a viris peritis inciden-
da & fundenda curarit, atque, multis & ad-
modum rarís libris ex ultimis orientis regio-
nibus undique collectis, ingentem gloriam
& famam ea in re supra cunctos Galliarum ad
Bizantinum Principem legatos conciliaturus,
hanc eandem linguam locupletarit : ac de-
mum ejusdem eximiæ liberalitatis atque mu-
nificentiaæ impulsu, ad studia doctorum pro-
mo-



movenda, varios libros excudi suis sumptibus jusserit.

Caput Quartum.

Jo. Zechendorffii consilia ac conatus.

§. I.

Zechendorffius, qui Cygneæ rector fuit, & anno MDCLXII. mortuus est, hanc publicavit scriptiōnem: Specimen Suratarum, id est, capitum aliquot ex Alcorani Systemate Johan. Zechendorffii, ejusdemque tum versionis, tum refutationis qua latīnæ, qua Arabicæ, ante aliquam multos annos institutæ: in Dei honorem; verbique ejus propagationem nec non proximi, ut sunt pagani, Turcæ, Persæ, Mauritani, atque alii conversionis ansam: æquissimo, doctissimo atque expertissimo eruditorum judicio ac censuræ humillime ab ipso interprete subiectum. Cygneæ, typis Melchioris Gopneri. (*)

§. II. In dedicatione, qua Ioannes Mochingerus, Gedanensis ad Catharinæ adem ecclesiastes, & Gymnasi rhetor, compellatur, ista periuntur: Tua excellentia novit, quam difficilis sit provincia, Alcoranum Mohammedis, impo-

(*) 4to. plag. 5.



impostoris, in latinum sermonem transferendi ; quam quidem abhinc xx annis subii, & Dei, spiritus sancti, nutu atque adjuto tum feliciter ad finem, totum describendo, (*Alcoranum*) descriptumque - (*instruendo*) versione latina, (*lineis subinnecta*;) hac, ut sequentia monstrant, forma - perdux. Præterea plurima capita - (*ita*) ut sequentes - (*ostendunt paginae*) refutaveram. Verum enim vero - (*bucusque*) neglectus totus Alcoranus meus, (*quantum ego possideo, nempe 114 istiusce Systematis Suratas, id est, capita,*) jacuit : nec relectus, aut correctus. Et fere omnes Suratae, præter pauculas, inter schedia mea periere, ut erant refutatae, hocque modo conscriptæ, exceptis, quæ textui Alcoranico adnotatæ (*suerant :*) & quidem partim, ob rerum omnium rutubam, apud nos ex Martis ferocitate, & mortis voracitate ortam ; partim, ob defectum - (*magnorum adiutorum*) & typorum, in - primis (*que gnarorum* in hac lingua, & (*eorum*) qui - potuissent, ac voluissent recensere, atque arbitrium ex scientia perfectiore sibi sumere, sub que limam censuræ vocare : vel, quia Alcoranus ait ; qui non memoret, nisi habentes sapientiam ; id est, ut & monachi Dervischiani volunt, quod nemo eum (*Alcoranum*) intelligere possit, nisi habeat eorum - (*in*) Alcoranum commentationem. Talem autem,

ut



ut conjectans jam nunc ariolor, ad meas manus pervenisse, ex Principis cuiusdam bibliotheca communicatam mecum, gloriari possum: verum commentatio illa erat aut Persica aut Turcica - quarum (*linguarum*) nullam - (*tunc*) temporis intelligebam. Movabant igitur istæ mihi salivam, propter ardentem, quem in linguas orientales à pueris habui amorem, dum ἐπιτηθευμάτων φιλομαθῆ τῶν πολλῶν εἶναν me docuere parentes, ut & abhinc aliquot annis me istis dederim & addicarim. Sed tantum, quantum a me, atque ex me, mutisque magistris præstanto. Institi liñæ in calore, & interno quodam impetu, post Turcicam, Persicam linguam mihi καδδύραμίν με familiarem utcunque reddere. (*) Inde audaculus exercitium ac specimen præsens, capita catechetica, ex amicorum & doctorum hortatu, quantum vires ferre

(*) Composuit etiam librum, vocabula Persica ordine exhibentem, de quo hæc leguntur in Jo. Frid. Nicolai præfationem, *Hodegetico orientali harmonico*, Jenæ. anno MDCLXX edito præmissa: *ad linguam Persicam* - (quod attinet) manibus nihil aderat, *præter Ms.* B. Zeckendorffii - *in scriptum*: Duplicatum Lexicon περτικὸν ad linguam Persicam.

terre valerent, in eandem Persicam transfudi: an legitime, scite, ac rite, judicent scitiores, & exercitatiores in hac lingua; sed sine Theopompino dicendi genere mordaci, - quibus omnia submissa sint, & imprimis in præsentia, - tuæ excellentiæ, perquam reverende, clarissime, amplissime, quaquaversum celeberrime, litteratissime - Mochingere - cui primo omnium dicatas, - (has pagellas) volo, - ut & exercitium Persicum, eo fine, ut examine pensiore primo has pagellas, in quibus refutationem Alcorani, uti institueram, ac ἐναντίως doctrinas posueram, sed eheu! ab temporis injuria, ac incuria maximam partem deperditam, (propono,) examinare, & di-judicare velit: quod fecerunt - (antehac) excellentissimi isti Viri etc. quorum litteræ subjectæ. Sint autem hæc, rudibus typis licet (expressa,) ad testimonium gratiæ magis, quam ad æquiparandum beneficium.

§. III. *Dedicationem excipiunt Alcorani Suratæ LXI. & LXXIX. in specimen propositæ; quibus recensisti, excussisque ista adjungitur clausula:*

sicam. Hoc beati viri hæredes, procurante id - Christiano Daumio - nostro Gerhardo transmiserunt, & datum ab ipso mihi - usui - (hucusque) concesserunt. Paucula autem puncüs ibi vestita sunt, cæteris sine puncüs jacentibus.



fula : Arabicam (*factæ in specimen refutatio-*
nis) versionem (*porro*) addere, spatiis & for-
mis typorum inamabilibus exclusus, non po-
tui ; - nec opus, quia non ipsis Arabibus
hæc jam nunc præscribo : sed tantum, ut
nostrates videant, an hic modus sit legitimus,
paganos nobis conciliandi, ne plane nos
(cum) ipsis, & ipsi - (cum) nobis, discordare
videantur, nec illi christianos tanto profe-
quantur odio.

§. IV. Ac porro hæc superadduntur verba :
Est hæc interpretatio, & refutatio simplex
ναζα μίθον, νεγ̄ μίθον, capitum Alcorani, a
Filio Amri - collecti ; - (cum qua) concor-
dat in toto contextu - (commentarium,) five
Glossator mēus : qui si posset addi, maxime
veri & falsi intellectum juvaret. Sed quivis
sinceræ pietatis cultor, piæ veritatis amator,
veræ æquitatis sectator, sane, ingenue, mo-
deste judicet : non enim ad ambitionem aut
ostentationem ; sed veri explorationem (hæc
spectant.) Quodsi acu tetigi rem, sequen-
tur plures (pagellæ,) quotquot supersunt : fin-
minus, cum illo Græculo dicendum

mihi : ἦ δεῦρο ὅδος τοὶ ή,

δύναται νῦν θεοπρόπε.

* (o) *

*

Fe 2605
S

1A 18

h.c.



B.I.G.



SYLLOGE
VARIORUM SCRIPTORUM
LOCOS
DE
MUHAMMEDANORUM
AD
CHRISTUM
CONVERSIONE
EXPETITA SPERATA TENTATAQUE
EXHIBENS.

COMPOSUIT EDIDITQUE
D. JO. HENR. CALLENBERGIUS
Theol. & Phil. Prof. Ord.

HALAE
In Typographia Instituti Judaici
MDCCXLIII.